



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1783

VD18 90119304

§. 8. Legatus Apostolicus Pontificis Constitutionem in sua Domo Sinice reddere jussus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

Sæc. XVIII. juxta ejus declarationem epistola cor-
A. C. 1721. rigi poterit.

§. VIII.

*Legatus Apostolicus Pontificis Con-
stitutionem in sua domo Sinice
reddere jussus.*

Vespere ejusdem diei Pater Wolfgan-
gus a Nativitate B. V. Carmelita
Excalceatus, & Scipelus a Palatio do-
mum reversi referebant, quod Eunu-
chus *Cinsu* primo submissa voce cum
Mandarino *Chao* collocutus, tandem
contentiore voce in hæc verba pro-
rumpere auditus fuerit: *Quid ad te,
si Imperator Legati petitis annuere velit?
cur id tibi displiceat?* Narrabant insuper,
quod Imperator ad Jesuitas, Pedrinium
& Ripam dixerit, eorum quosdam plus
quam par esset, cavillari, nodumque
in scirpo quærere: ipsis vero plenam
Majestati suæ obedientiam spondenti-
bus, interrogasse Imperatorem, quid
ipsis de iis, quæ in nupero colloquio
ad Legatum dixisset, videretur, eos
vero respondisse, sibi videri, quod Im-
perator ironice fuisset locutus, mox
vero Patrem Murao addidisse, *Optime
facit sua Majestas, quod Papæ Legatum
bene custoditum teneat:* Imperatorem vero
Mandarinis præcepisse, ut omnia verba
in

in postremo colloquio prolata exacte Sæc. XVIII.
A. C. 1721.
 annotarent. Sequenti die Mandarinus
 quidam Patri Raynaldo Mariæ & Ro-
 vedæ præcepit, ut secum ad Aulam
 pergerent, Imperatoris iussa percipe-
 rent, & Legati literas Romam defe-
 rendi licentiam peterent. Paulopost
 Mandarinus *Chao*, & *Ly Tuli* Legatum
 Apostolicum visum ibant, eidem Im-
 peratoris nomine suadentes, ut firmo
 esset animo, nec ad unam magis, quam
 „ad alteram partem inclinaret, Impe-
 „rator autem in ultimo colloquio de-
 „prehendisset, quod Interpretes in ex-
 „plicanda ejus & Legati mente inter se
 „discordes, altercati fuerint, idque
 „non parum Imperatori displicuerit,
 „utpote quo exiguam erga Imperato-
 „rem & Legatum reverentiam ostendif-
 „sent, ac propterea Imperatori suspicio-
 „nem ingessissent, quod in interpretan-
 „dis Legati petitis, & Imperatoris con-
 „cessione parum fideles fuerint: Ex-
 cusabat Legatus Interpretes, dicendo,
 eos inter se non fuisse altercatos, sed
 duntaxat, ut cum majori integritate
 & claritate rem explicarent, mutuam
 opem sibi præstitisse. His addidit
Chao, Imperatorem omnino velle, ut
 in nupero colloquio exposita plenæ luci
 darentur, proin desiderare, ut ipsemet
 Legatus media ad certam hujus rei
 C 2 verita-

Sæc. XVI I veritatem perveniendi suggereret: cum
A. C. 1721. autem Legatus perspicacissimo Principi
 consilium dare, temerarium fore dice-
 ret, Mandarinus nomine suo tanquam
 amicus exposuit, eam esse Imperatoris
 indolem, ut ad rei cognitionem sensim
 pervenire studeat, nil ergo sibi consultius
 videri, nisi ut Legatus omnes Constitutionis
 articulos tam prohibitos, quam permisos
 scriptotenus proponeret, sicque tam
 Sinensibus, quam Europæis cognitum fieret,
 quid circa ritus Sinicos toleraretur, & quid
 non permitteretur. Legato autem respondente,
 se id sine diserto Majestatis suæ mandato
 facere haud posse, subjunxit Mandarinus,
 ipsam Constitutionem Imperatori exhiberet,
 rursus autem Legato mandati necessitatem
 obtendente, Mandarinus reposuit, hanc ipsam
 tergiversationem indicare, in hac Constitutione
 aliquid Imperatori permolestum contineri:
 dum vero Legatus responderet, hac de re
 cum nullo alio præter Imperatorem agere,
 tam a Pontifice quam a sua Majestate sibi
 esse injunctum, Mandarinus ira efferves-
 cens discessit, ac satellitibus præcepit,
 ut Legati Domum cingerent, & nemini
 (exceptis Peckinensibus Jesuitis) intrandi
 vel exeundi facultatem sine Imperatoris
 mandato concederent.

Post

Post prandium ambo Mandarinum nomine Imperatoris Legato insinuabant, quod Imperator tanquam tutissimum veritatis assequendæ medium elegisset ipsius Pontificiæ Constitutionis discussionem, proin Legatus ipsam exhiberet; hac enim via clare cognosci possent a Pontifice prohibita; omnes enim contentiones & difficultates hucusque subortæ a solo Maigroto, qui ab Imperatore circa tres duntaxat characteres Sinicos examinatus nil respondere noverat, & a Pedrino aliunde Viro minus docto fuissent concitatæ. Ad hæc Legatus respondit, nec Maigrotum nec Pedrinum, sed summum Pontificem rem dijudicasse, ejus vero judicium esse infallibile, ac propterea ab universa Ecclesia, & nominatim a Jesuitis approbatum: His auditis discesserunt Mandarinum, mox autem die decima septima alii quatuor supervenere, nuntiantes Legato, suam Majestatem mutasse sententiam, nec ultra velle Constitutionem inspicere, eoquod de fidelitate Interpretum, sine quibus ea verti non posset, proin nequidem veritatis certitudo haberi, valde dubitaret, consultius igitur esse, ut ipsemet Constitutionem in sua domo sinice redderet, atque in opem quoscunque vellet, Interpretes seligeret, factamque

Sæc. XVIII.
A. C. 1721.

Sæc. XVIII. versionem suæ Majestati consignaret,
 A. C. 1721. prius tamen ipsam Constitutionem per
 Patrem Raynaldum Mariam & Rovedam ad ipsum Imperatorem transmitteret. Annuit Legatus, eamque serico flavi coloris velo involutam Mandarinis tradidit, qui etiam nulla mora illam ad Aulam deportabant.

Vix hora effluxerat, cum iidem Mandarinum, duo Regni Proceres, & omnes ferme Europæi reverterentur, ac Legato Imperatoris nomine rursus denuntiarent, ut Constitutio in Legati domo in Sinicum idioma transferretur: mox ergo PP. Mailer, Regis, Joannes Priano, & Ripa operi manum admovent; ast absoluta articulorum, qui per Constitutionem prohibentur, versione dubium movetur, an integra Constitutio, vel soli articuli prohibiti Sinice redderentur, urgente tamen Mandarino *Chao*, integra Constitutio in Sinicam linguam versa est. Pariter idem Mandarinus relationem ultimi colloquii Sinice exaratam produxit, quam tamen, utpote minus fidelem, Pedrinus redintegravit. Postmodum Mandarinum primo Constitutionis versionem, postea Pedrinii relationem inter insulos cachinos, & ludibria prælegerunt, a Legato sciscitantes, quænam esset veritati magis consentanea, Eo autem respondente,

se

se utpote idiomatis Sinici minus gnarum, de eo judicare haud posse, proinde ab Interpretibus in Sinensi & Europæo idiomate versatis exquirerent, utra relatio verior sit, instabant Mandarinum, ut saltem ipse etiam nuperi colloquii, prout ei ab Interpretibus exhibita fuit, relationem conficeret: id altera die se facturum spondit Legatus, qui etiam petitam relationem cum suis Missionariis conscripserat.

Sæc. XVIII.
A. C. 1721.

§. IX.

Imperatoris Sinensis edictum contra Pontificis Constitutionem & Missionarios.

Die decima octava Januarii Legatus relationem Mandarinis ad se venientibus consignare parabat, hi autem de ea parum solliciti, edictum Imperatoris proprio suo chirographo rubris literis ad finem Constitutionis scriptum eidem tradiderant. Erat autem tenoris sequentis. *Legendo decretum istud, tantummodo dici potest, spectare ad homines viles Europeos, quomodo dici potest, quos spectet ad magnam doctrinam Sinicam, A fortiori cum Europæorum nullus sit, qui noverit literas Sinicas, plura reperiuntur indigna, nunc videndo decretum allatum a Legato magnam habet conformi-*

Viann. rel. Legat. pag. 147.